SOLENNIA

EXEUNTIS ANNI SCHOLASTICI

IN

GYMNASIO REGIO BARUTHINO

INDE A DIE XV. M. AUGUSTI MDCCCXLIV.

LL. CC.

RITE CELEBRANDA

INDICIT

CLOETER, PROFESSOR.

(Praemittitur disputatio, qua de particula ἄν agitur.)

BARUTHI.
EX OFFICINA HOEBRETHIANA MDCCCXLIV.

Hoc mihi defendendum proposui, *ἄν* esse particulam negativam, ex singulari quodam genere particularum, ne omni quidem antiquitate usitatarum, sed antiquioribus tantum temporibus inter antiqua.

Illud novum non est, modo novissimis temporibus non satis animadvertebatur. Veteris enim grammatici verba (apud Herrmannum in libro peculiari de hac particula scripto p. 15) haec sunt:

Ἄν τοῦτον τὸν σύνδεσμον οἱ τεχνικοὶ δυνητικὸν προσαγορεύουσι· σημαίνει γὰρ πρᾶγμα μὴ γενόμενον, δυνάμενον δὲ γενέσθαι, εἰ μή τι συμβὰν ἐκώλυεν.

Hoc dicit: „hujus particulae vim ii, qui in hac arte versantur, ad ea referunt, quae fieri possunt.“ Reliqua hoc sibi velle videntur, negari hac particula, quamquam non omnino, sed addita aliqua conditione. Quare discedendum esse videtur a grammaticis recentioribus, hanc particulam per se particulis conditionalibus adnumerantibus, ac statuendum, vim hujus particulae ipsam non esse conditionalem, sed esse negativam, negationem autem conditionalem, quasi indirectam. Quam rem praecedat alterum illud necesse est, ut dicam, quod sit illud particularum genus singulare, cui *ἄν* adnumeretur. Quod ut accuratius facere possim, liceat mihi rem inde repetere, ut pauca quaedam de tota enuntiandi ratione, deinde de partibus, quas dicunt, orationis, maxime de verbo et de ejus modo ac tempore dicam.

Omnis res a ratione sua discernenda est; itaque si qua de re loquimur, aut de re ipsa, aut de ratione, qua cum aliis rebus conjungitur, loqui possumus. Ea autem, quae dicimus, aut singula verba sunt, imprimis nomina, aut totae sententiae. Sed et singula verba et totae sententiae a ratione sua discernendae sunt. Verbum per se significat aliquam rem, ut mensae verbum supellectilem illam ligneam. Sed huc accedit aliqua ratio, quae verbo simul significatur, sive ratio est verborum inter se, sive ratio rerum, de quibus agitur. Itaque quodvis verbum duabus partibus constat: nam primum quaedam voces s. litterae sunt conjunctae ad illam rem, ad quam nomen pertinet, exprimendam; his accedunt alia, rationem definientia, quae aut vocabulo inhaerescunt, ut terminationes, aut separata sunt ab eo, ut particulae, quas dicunt.

Illud, quod relinquitur, si discreveris ea, quae ad rationem pertinent, significat rem ipsam et radix nominatur, quae opponitur illis additamentis, quas modo ad rationem pertinere diximus, et distinguenda est ab alio radicum genere, si radices ipsas inter se conferunt cognationis causa, de qua re nos non agimus. Sed quamquam hoc caput est omnis orationis humanae, ut rebus nomina inveniamus, quod nihil aliud est, nisi ut res in genera distribuamus, tamen singulis verbis uti nondum est loqui, sed conjunctione quadam verborum opus est, quam sententiam dicimus. Quia enim res non sunt singulae, sed conjunctae inter se, ne verba quidem, rerum nomina, sola esse possunt, sed verba verbis sunt conjungenda. Nam si enuntiamus, quid aliud, quam rem cum re conjunctam conjungendamve esse dicimus? Quod si volumus, significata hac conjunctione opus est, quod fere non fit novo verbo singulari, sed ita, ut signum hoc conjunctionis cum altero nominum copulemus, unde nascitur (partim) orationis pars primaria, quae verbum κατ' ἐξοχὴν nominatur. Quaeritur, quomodo oriantur caeterae orationis partes? Certe simili modo. Nam si in qua enuntiatione duae res conjunguntur, utraque res ipsa cum aliis conjuncta sit necesse est, et hae conjunctiones una efferendae esse possunt. Efferuntur autem hae quoque conjunctiones ita, ut signum conjunctionis cum nomine, quo rem significamus, componatur ad similitudinem conjunctionis primariae, ex qua verbum ortum est, ita ut uno enuntiato aliquo simul plura contineantur breviora. Hoc dico, caeteras orationis partes et ipsas quoque esse verba, ut verbum illud κατ' ἐξοχὴν, quia rerum conjunctionem significant, et differre ab illo verbo, quia diversam. Hoc est particularum genus universum, partes orationis, quod genus ut magis illustrem, pergam, non de omnibus his partibus singulis loqui, sed de verbo solo, deque ejus modo ac tempore, quibus nihil cum ἂν particula magis conjunctum esse solet. Iure autem in universum has quoque verbi partes enuntiationes breviores majori cuidam enuntiationi insertas dicere possumus. Hoc primum ad modum referamus. Sic enim de unaquaque re agi posse vidimus, ut aut de re ipsa aut de rei ratione agamus. Hoc ad illam quoque duarum rerum conjunctionem pertinet, quam unamquamque enuntiationem esse diximus. Si nihil est, nisi conjunctio ipsa, neque quaeritur de ratione conjunctionis, nihil inest in enuntiatione, nisi rem conjungi cum re. In ejusmodi enuntiationibus modorum diversitate non est opus, signo tantum simplici conjunctionis. Sed praeter hanc simplicem conjunctionem respici potest ad rationem hujus conjunctionis, neque solum hoc potest esse significatum, aliquo enuntiato duas res conjungi, sed etiam, quomodo conjungantur, unde modi verbi oriuntur. Itaque modus est novum quoddam enuntiatum, quod implicite inest in aliquo enuntiato, non ad conjunctionem rerum ipsam, sed ad conjunctionis rationem pertinens, quae conjunctionis ratio

duplex est, una, si quid est, altera, si cogitatur, cui accedit tertia, quae pars tantum prioris est, si qua res est quidem, sed addita exceptione, quod ipsum duplex esse potest, quum exceptio aut ad hominem aut ad rem referenda esse possit, ita ut omnino quatuor efficiantur rationes, ad quas significandas quatuor sit opus modis, cum ea, quae sint, indicativo, quae cogitentur, optativo, quae ex homine pendeant, imperativo, quae ex re, conjunctivo efferantur. Novum autem ejusmodi enuntiatum, quod simul continetur enuntiato aliquo, tempus quoque verbi est. Nulla quidem omnino res est, quae tempore careat ac loco, itaque ne illa quidem verborum conjunctio, qua enuntiamus, quae volumus. Potest vocabulis singularibus addi, ad quod tempus et ad quem locum conjunctio pertineat. Sed quemadmodum conjunctio ipsa non novo vocabulo significatur, sed conformatione quadam eorum, quae nomina sunt rerum ipsarum, sic tempus quoque ex varietate quadam hujus conformationis perspicitur, loci mentio, ut non necessaria, omittitur. Accuratiori autem temporis discrimine non nisi in indicativo opus est, in iis, quae sunt, sive hoc pertinet ad praesens, sive ad praeteritum, sive ad futurum tempus; in iis, quae aut cogitantur, aut aliunde pendent, omnino non est magna temporis varietas. Itaque si quaerimus, ex quibus partibus componatur oratio humana, omnia a nomine oriuntur eodemque redeunt. Nomina quaedam plura pauciorave in unum quasi nomen conjunguntur, in brevissimum verborum corpus, sententiam aliquam enuntiatam. Longior deinde oratio nihil est, nisi similis sententiarum comprehensio, ac si singulis sententiis nomina in unum nomen comprehenduntur. Si autem diversa via proficiscentes a re composita ad partes venimus, minutissimas quoque orationis partes, ut ipsa enuntiata, quin etiam verba ac terminationes, similes esse sententias reperimus, atque eas, quarum partes sunt, contractas modo ac breviores. Totam igitur enuntiandi vim in vocabulorum terminationibus sitam esse videmus, quibus nomina transeunt in partes orationis. Sed quemadmodum terminationibus, sic vocabulis separatis conjunctiones indicari possunt, ut si duae illae enuntiati alicujus res primariae non ita conjunguntur, ut alterius nomen in verbum immutetur, sed hoc conjungendi munere vocabulum singulare, logica illa, quam dicunt, copula, verbum substantivum, fungatur, aut si ad alias conjunctiones secundarias significandas inducuntur novae quaedam partes orationis, particulae illae, praepositiones, conjunctiones, adverbia, sive solis particulis conjungitur, sive et particulis et terminationibus. In quibus particulis ἄν quoque est, et adnumeratur generi cuidam particularum singulari, de quo nunc agamus.

Esse quaedam vocabula, ut apud Homerum, quae Latine non reddantur, quamquam neque iis desit vis, et sentiatur, quae sit, satis constat. Dicam igitur, cur possint praeteriri. Agendi

ac cogitandi rationes veluti opes sunt, quae ut aliae opes ab hominibus sensim augentur. Ad loquendum potissimum opus est generibus, quae cogitando parantur, parata ore proferuntur. Sed haec genera non uno impetu inventa parataque sunt, longo tantum annorum ac saeculorum ordine, multorum hominum collatis viribus quaeruntur. Neque una haec ratio est, generum nominibus loqui; prophetae ac vates aliis rebus utuntur, ut rerum imagines, tanquam alii artifices in cera vel materia alia, exprimunt in vocibus. Patet autem esse quandam diversitatem atque consecutionem temporum inter se excipientium, esse quaedam ad dicendum utilia, quae sint temporibus sequentibus, defuerint antiquis, et sequentium temporum dicendi artem, id, quod non pertinet ad dicta ipsa, magis excultam perfectamque esse posse, quam antiquorum. Atqui, ut supra diximus, ea est ratio dicendi, ut enuntiato aliquo de duabus rebus primariis, praeterea autem de multis aliis agatur et unum aliquod enuntiatum sit simul enuntiatorum multitudo. Itaque illa temporibus diversis diversa dicendi ars potissimum ad hunc enuntiatorum numerum uni eidemque enuntiato inclusorum pertinet. In iis enim, quae in aliquo enuntiato primum tenent locum, nulla potest esse diversitas, neque in multis eorum, quae adduntur, in aliis autem est, et linguae differunt numero sententiarum uno enuntiato comprehensarum, et quaedam earum sententiarum, quae implicite inesse possunt, ab hominibus antiquis addebantur, quae a nobis omittuntur. Contra multa veteribus plane inusitata a nobis adduntur, sed ita, ut statim temporum rationem dispicias. Nam hoc illud, „desiderantem, quod satis est,“ in sermone nostro sonabit fere, „wer nur so viel verlangt, als gerade genug ist,“ qua verborum auctione, si res et cogitationes, non dicendi rationem spectamus, a nobis nihil novi quaeritur. Quam propter diversitatem neque illi praestare, neque hi posthabendi esse mihi videntur. Quemadmodum enim in illa copia rerum una dictarum vis quaedam ingenii ac vigor juvenilis cerni potest, ita his, quia non habent, quae ne putant quidem habenda esse, nihil deesse videtur. Si prima rerum initia cum incrementis majoribus contuleris, id facile invenies discriminis, in illis semper totum quidem esse, partes nondum satis distingui, sed magis in unum confusas esse, ut plantarum partes in folliculis, quuo semine nato plantaque crescente separantur, sine qua separatione neque totum neque partes ad maturitatem pervenire possunt. Itaque si versamur in antiquis, ubique totum orationis habendum est, sine ulla partium distinctione ac separatione, quae sunt temporum sequentium; sed ubi partes sunt satis cognitae, jam et quae uno verborum ambitu comprehendenda, et quae aut omittenda aut novo ambitu addenda sint, recte dijudicari potest. Fere ad particulas solas refertur illud discrimen, quarum genus quoddam esse dico, constans ex particulis, quae ab hominibus antiquis ponerentur, a

nobis, quae nostra sit sentiendi dicendique ratio, recte aut omittantur aut in primaria enuntiata conversae seorsim addantur, quae res paucis erit illustranda exemplis.

Eidem particularum generi, atque ἄν adnumerandae sunt praeter alia imprimis ἄρα, δή, τοί, γέ, sed non est obliviscendum, et haec et ἄν, cui addendum est κέ, non nisi apud Homerum ejusmodi esse particulas, quae genere a reliquis differant, quum alii post Homerum scriptores iisdem ita utantur, ut a ratione aliarum particularum, qualibus nos quoque utamur, non recedant. Proprium hoc particularum genus hinc oriri diximus, si oratio non satis sit elaborata per partes, neque satis discretum sit, quid separatim enuntiatum esse debeat, quid alii enuntiato inseri sufficiat. Ad haec illustranda facere potest ipsius poetae epici narrandi rationem cognoscere. Patet enim in hac ipsa narratione non satis iri in partes, quum res non simpliciter narrentur, sed et narrentur et simul ad deos referantur; quae apud nos quidem ad diversas artes pertinent, sed apud Homerum in unum conjuncta ita accipi solent, ut dicant, eam esse poetae epici rationem narrandi, ut omnia ad deos referat, non quo omnia ad deos referenda esse docere velit, sed quia narrandi rationem adjuvet. Falso. Non enim sic de illo toto epico ejusque natura satis accurate judicatur, neque agnoscitur, cognitionem tempore epico non satis per partes dispositam esse potuisse, quum, quo magis res retro sint, eo magis in unum sint confusae et eo minus partes singulae possint internosci. Quae quum sermonis quoque sit ratio, hoc, de quo dicimus, genus particularum potuit oriri, quae in universum aliquid significant, quod aut omitti potuit, aut ab illis, in quibus insunt, enuntiatis, secerni et singularibus efferri enuntiatis. Ut autem ad singulas illas particulas veniamus, ἄρα significat, aliquid ratione evinci, ac patere per se, non opus esse pluribus; δή, nullam fuisse in aliqua re moram. Certe ejusmodi res nos aut nunquam solis particulis dicere solemus, aut non tam crebro, quam apud Homerum fit. *Τοὶ*, proprie σοὶ, qui est dativus, quem dicunt, ethicus, significat, animum ejus, qui loquitur, ipsius commoveri re, quam commemorat, et differt particula ab illo dativo, quia dativus ethicus σοὶ locum non habet, nisi ubi duo colloquuntur, particulae usus latius patet, ex qua re ipsa poeta epicus cognoscitur, apud quem, quae oratio esse debebat, sermo est, oratio vita conjuncta, nondum a tota vita separata. *Γὲ* exceptionem significat, cujusmodi particula nos quoque uti solemus, sed hoc discrimine, ut nos eam non nisi cum membro aliquo primario conjungamus, Homerus cum secundariis quoque. Non opus est, omnia persequi; ad id, quod propositum est, demonstrandum, haec sufficiunt: esse quasdam particulas Homericas, illis temporibus, non nostris aptas, quibus modus rerum uno enuntiato comprehendendarum superetur. Ex eodem genere sunt ἄν et κὲ, quae significant, aliquam rem esse negan-

dam, non per se, ad quam negationem ipse quoque utitur adverbiis οὐ et μή, sed rationem alicujus rei aut negari, quamquam res ipsa affirmetur, aut affirmari, quamquam ipsa negetur, ubi negativa harum particularum vi opus est, ut duabus negationibus in unum coeuntibus affirmetur. Quin enim res aliqua collata cum aliis rebus s. ratio rei neganda esse possit, quae, si non respiciamus rationem, affirmetur, eodemque modo rursus res negata possit affirmari, propterea non potest esse dubium, quia, si nihil inesse posset in ratione, quod non inesset in re, haec duo, res ipsa et ratio rei, inter se nihil differrent, quarum magna est differentia. Ἄν autem et κὲ inter se sic differunt, ut aliquid, quod particula κὲ negatur, ad animum hominis alicujus referendum sit, non item, quod particula ἄν. Quae vis particulae ἄν negativa ab aliqua praepositionis ἀνά affinitate repeti potest, „sursum“, deinde „retro“, saepe enim idem est motus, significantis, quo quidem nihil est aptius ad negationem significandam. Γὲ autem et κὲ affinia esse videntur, non solum sono litterarum, sed significatione; nam si particula γὲ aliquid circumscribitur et restringitur, ipsa quoque est negativa. Sed si postea haec propria ἄν et κὲ particularum vis negativa evanuit, ita ut per se aliquid significare desinerent, nec quidquam aliud ad aliquod enuntiatum afferrent, nisi ut aliis rebus, maxime discernendis generibus auxilio essent, ut in his, „ὅς ἄν“ et „ὅς“, aut in his, „λέγοις ἄν“ et „λέγοις“, quid mirum, quum una sufficeret, si altera non amplius uterentur?

Itaque a pedestribus scriptoribus non harum particularum vim, sed usum esse retentum dico. Quomodo autem ab illa vi primitiva negandi hic usus possit repeti, hoc ut demonstrem, sit ultimum. In paucis versabor locis, sed ad multos alios facilius judicandos me viam aperturum esse confido. Subsistendum est autem in particula ἄν, cujus usus frequentissimus hic est: A) in sententiis conditionalibus, quarum tria quatuorve recensentur genera. 1) (*Εἴ τι ἔχεις, δός. — Εἴ τι εἶχεν, ἐδίδουν ἄν. — Οὐκ ἄν ποτε ᾤμην ἐγὼ σου ἀκοῦσαι, ὡς ἀγαθοὶ οἰκονόμοι ἀγαθοὶ στατηγοὶ ἄν εἶεν.*) — Si qua res (τὸ δοῦναι) pendet ex alia, quae est (ἔχει), ipsa quoque est, et abest ἄν. Si autem non est (εἴ τι εἶχεν, 'λλ' οὐκ ἔχει), ipsa quoque non est, et ἄν additur. Velim animadvertas, ἄν hic non addi conditioni, neque enim significat conditionem, sed addi rei pendenti ex conditione, et significare, hanc rem, quae pendeat, non esse, quia non sit conditio. Quae vero est illa ratio, cujus discrepantia addita particula ἄν indicatur? „Εἴ τι ἔχεις, δός“. Res est haec, quod aliquis dare jubetur, si habet. Ratio est, num habeat, et habet, itaque non opus est neque licet addi particulam. „Si haberem, darem,“ est affirmatio rei ipsius. At quae est ratio rei? Habeone? Negandum est. Itaque additur particula ἄν, qua negatur ratio. „Non putassem, fore, ut a te audirem, bonum

oeconomum esse etiam bonum ducem." Sed quae est ratio rei? Falsus sum, itaque negationi negatio addenda est ad affirmandum, non putabam, at putandum erat. 2) (Εἴ τις ταῦτα πράττοι, μέγα μ' ἂν ὠφελήσειε). Res aliqua (τὸ ὠφελεῖν ἐμὲ) pendere potest ex aliqua re, quae cogitatur. Itaque illa non per se, sed ratione negatur, si res non est, ex qua pendet; negatur quidem, sed negationi addita est exceptio. Qua de causa illi rei, quae pendet, adhaerescit negatio, non huic, ex qua pendet, cujus ratio est, quod cogitatur, quae ratio omnino nunquam potest dicrepare a re, neque indigere hac particula, discrepantiae signo. 3) (Ἐὰν τι ἔχωμεν, δώσομεν). Si qua res (τὸ δοῦναι) pendet ex re, quae neque est, neque non est, sed quam fore exspectamus (τὸ ἔχειν). Utri membro hic additur particula? Nempe non apodosi, quia, quaecunque promittuntur, ea non ulla addita negatione enuntiabimus, sed protasi, quia haec res nondum, i. e. ratione non est. B) Ubi haec particula additur pronominibus et adverbiis relativis, haec non significant unam rem, sed genus ac comprehensionem, ut vocula Latinorum „cunque". Iisdem partibus orationis adnecti potest πὲρ, ita ut tria esse possint, aut nihil additur, si nihil aliud quam membra enuntiati positis relativis his inter se conjungenda sunt, aut additur ἂν, si e re est, ut praeter conjungendi necessitatem, simul indicetur, relativum latius patere, aut adnectitur πὲρ, si refert, dicere, unam illam esse rem, non comprehensionem. Quo nihil potest magis hoc confirmare, neque conditionalem esse particulam ἂν, et esse negativam. Non enim ullo modo, quod significat „cunque", poterit referri ad conditionem; at nulla est alia via, res singulas generibus comprehendendi, nisi per negationem, quia diversitatibus sublatis, i. e. negatis, ea, quae omnibus communia sunt, in unum corpus cogitatione colligimus, quod genus nominamus, quo fit, ut negandi atque comprehendendi i. e. cogitandi vocabulum idem esse possit. C) Si votum aliquod optativo redditur, non additur ἂν. Cur? Rem, quam optamus, nulla ratione negatam cogitare possumus. D) Si autem pro imperativo ponitur optativus, ἂν additur; ejusmodi enim res aliqua ratione negatur, si non vult, qui facere jubetur, quo haec forma jubendi differt ab imperativo ipso.

Inquirendo de veritate rerum non speciosarum, utilium tamen, utilis esse volui, ut esset, unde ad rem ipsam agendam venirem. Viros enim hujus urbis omnium ordinum honoratissimos, quicunque classes nostras sive publice sive privatim respiciendas sibi esse putant, ut festis his diebus ad nos veniant, Rectoris Collegiique nomine omni, qua par est, observantia rogo oroque.

2